

Riordinamento delle diocesi di Mileto e di Oppido Mamertina-Palmi

La Sacra Congregazione per i Vescovi, con lettera n. 32/78 dell'8 giugno 1979, ha trasmesso il decreto n. 904/78 con il quale il Santo Padre ha dato un nuovo ordinamento territoriale alle diocesi di Mileto e di Oppido Mamertina - Palmi.

SACRA CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

MILETENSIS ET OPPIDENSIS

DECRETUM

DE FINIUM AC NOMINIS DIOECESIS OPPIDENSIS MUTATIONE

Quo aptius nostrae aetatis christifidelium spiritualibus necessitatibus consuleretur fieretque locorum Antistitum fructuosior labor, iuxta Concilii Oecumenici Vaticani II vota, consentaneum visum est dioecesium Miletensis et Oppidensis territorium rectius disponere .

Summus Pontifex IOANNES PAULUS, Divina Providentia Pp. II, auditis locorum Ordinariis quorum interest atque praehabito favorabilii voto Conferentiae Episcopalis Regionis Calabriae, huiusmodi immutationem animarum saluti profuturam censuit.

Quapropter, suppleto quatenus opus sit eorum interesse habentium vel habere praesumentium consensu, de plenitudine Apostolicae potestatis, praesenti sacrae Congregationis pro Episcopis Decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbō Litterae datae forent, a dioecesi Miletensi separat territorium civilium municipiorum vulgo nuncupatorum: PALMI, Anoiā Candidoni, Cinquefrondi, Cittanova, Feroleto della Chiesa, Galatro, Gioia Tauro, Giffone, Laureana di Borrello, Maropati, Melicuccà, Melicucco, Polistena, Rizziconi, Rosarno, S. Eufemia d'Aspromonte, San Ferdinando, S. Giorgio Morgeto, San Pietro di Caridà, San Procopio, Seminara, Serrata, Sinopoli, Taurianova, necnon paroeciae S. Michaëlis Arcangeli in pago vulgo dicto Acquaro di Cosoleto, illudque dioecesi Oppidensi adnectit.

A dioecesi Miletensi seiungit quoque paroeciam S. Mariae a Monte Carmelo in pago vulgo Ceramida quam archidioecesi Rheginensi assignat.

Cum vero in territorio dioecesi Oppidensi nuper aggregato clara urbs Palmarum, italice Palmi nuncupata, exstet, Summus Pontifex

Palmarum titulum, ab eiusdem civitatis nomine, perpetuo unit veteri titulo Oppidensi, ita ut posthac dioecesis ac Episcopus « Oppidensis-Palmarum » nuncupari possint ac debeant.

Mandat insuper Sanctitas Sua ut documenta et acta praefati territorii personas et bona ecclesiastica quovis modo respicientia a curia Miletensi ad propriam cuiusque curiam quam primum rite transmittantur, in tabulario religiose custodienda.

Ad clerum vero quod attinet, simul ac praesens decretum ad effectum deductum fuerit, sacerdotes dioecesi illi adscripti censeantur in cuius territorio ecclesiasticum beneficium vel officium legitime detinent; ceteri autem sacerdotes, clerici seminarii que tirones dioecesi illi incardinati maneant vel incardinentur in cuius territorio legitimum habent domicilium. Cuiusque tamen dioecesis Ordinariis fas erit ob congruas rationes et collatis cum sacerdotibus et clericis quorum interest consiliis, aliter de eorum incardinatione disponere.

Ad haec omnia executioni mandanda Summus Pontifex Exc.mum P. D. Aurelium Sorrentino, Archiepiscopum Rheginensem et Episcopum Bovensem, necnon Conferentiae Episcopalis Calabriae Praesidem, deputat eidem necessarias et opportunas tribuens facultates, ad effectum de quo agitur, etiam subdelegandi quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad sacram Congregationem pro Episcopis, cum primum fas erit, authenticum exemplar actus peractae executionis remittendi.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis pro Episcopis, die 10 mensis iunii anno 1979.

+ SEBASTIANUS Card. BAGGIO, *Praefectus*

L. S.

+ Ernestus Civardi, *Archiep. tit. Serdicens., a Secretis*